

CAPUT IV.

DE IMMACULATO CONCEPTU SANCTISSIMAE DEIPARAE.

—†††—

Revelata est a Deo doctrina quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originali culpa lae praeservatam immunem. Ita SS. Pius IX in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus*. Quibus in verbis haec continentur 1) immunem fuisse B. Virginem a culpa originali, imo 2) ab omni lae culpae originalis, 3) immunem fuisse in primo instanti suae Conceptionis, 4) fuisse hoc singulare privilegium B. Virginis, atque 5) hoc singulare privilegio donatam eam fuisse intuitu meritorum Salvatoris humani generis, ideoque 6) gratiam hanc fuisse gratiam praeservationis. Distinximus secundum membrum a primo, quia si per se spectetur haec formula *ab omni lae culpae originalis*, plus aliquid significare potest quam ea simplex *a culpa originali*; nam concupiscentia quoque laes est quaedam culpae originalis, h. e. a culpa originali procedens. Verum quia ea formula ita verissime accipi potest ut *omnis laes culpae originalis*, sit *omnis laes quae est culpa originalis*; atque id certissimum est definitum esse a Romano Pontifice, aliud non item: ideo in demonstratione et defensione dogmatis eo potissimum et primario spectabit sequens tractatio, ut immunitatem b. Virginis a culpa originali sive ab omni eo quod culpae rationem habet, tueamur: secundario autem ut de primordiali quoque immunitate a concupiscentia disseramus. Cetera doctrinae capita superius enumerata, quae in definitione Pontificia continentur, in ipso processu demonstrationis Immaculati Conceptus suum locum singillatim obtinebunt.

Nunc autem ut clare id, de quo est quaestio, definiamus, haec proponimus. 1) Primum instans conceptionis B.V. est primum instans conceptionis, ut aiunt, passivae, quo nempe creata est anima B.V. corporique infusa; tunc enim tantum incepit esse B.V. 2) Ratione habita praesentis ordinis in quo nullum est medium inter statum peccati et statum supernaturalem gratiae, ideoque peccatum per solam gratiam excluditur; immunitas a culpa originali non negativo

tantum modo, sed positivo accipienda est, nempe per sanctitatem infusam. Quare qui dicit B.V. in primo instanti suae Conceptionis fuisse immunem a culpa originali, is dicit B.V. in primo instanti existentiae suae fuisse sanctam sanctitate supernaturali, Deo difectam, Deique filiam. 3) Advertendum est doctrinam Immaculati Conceptus non excludere B.V. a censu eorum qui indiguerunt meritis Christi, et ab eo redempti sunt, sed tantum specialem redemptionem ipsi vindicare: immunitas enim a culpa originali, quam Ecclesia catholica asserit B.V. est praeservatio ab ea culpa contrahenda, et quidem propter merita Christi Iesu Salvatoris humani generis.

Thesis LXXXII.

Contra veritatem Immaculati Conceptus purissimae Virginis Mariae nullum argumentum peti potest ex dogmate universalis propagationis peccati originalis.

I. Etenim 1) nulla lex excludit speciale privilegium. Et sane privilegium per se possibile est: privilegium vero ex sua natura supponit legem aliquam, cui opponitur, atque supponit eam universalem saltem ita ut illum quoque complecteretur, cui privilegium confertur, nisi specialis gratia privilegii adesset. Ergo ex eo quod lex sit universalis vel ad modum legis se habeat pro omnibus hominibus ut contrahant ab origine peccatum, non impeditur ullo modo exceptam fuisse b. Virginem. Nisi dicas ita esse universalem legem, ut constet quoque neminem actu qui sit filius Adae exclusum esse aut exclusum iri; huiusmodi nempe esse legitimum sensum verborum Pauli et catholicae traditionis: ut omnes prorsus, nemine excluso, qui sint seminaliter ex Adamo, contrahant actu peccatum; ideoque Mariam quoque actu comprehendi ea lege.

Atque 2) distincto debito seu necessitate contrahendi peccati, et actuali eiusdem contractione; eaque necessitate nunc seposita, nam de illa quaestio nunc non est: quoad ipsam actualem infectionem peccati, negamus sensum legitimum eius legis, sive eorum verborum Pauli ac catholicae traditionis de universalitate peccati originalis eum esse, ut ipsa quoque b. Virgo censenda sit comprehensa ea lege. Sive negamus quod ut vera sit doctrina catholica de universali propagatione peccati opus sit b. Virginem quoque incurrisse illud peccatum, ita ut falsa sit doctrina Pauli, falsa catholica traditio, si b. Virgo excipiatur. Negationem hanc probatum ex ipsa Ecclesiae, quae traditionis suae interpret est, declaratione; scilicet ex declaratione

Tridentinae Synodi subiecta decreto de peccato originali Sess. V. Postquam enim docuerit Synodus Adamum peccantem non sibi soli, sed *suae quoque propagini* nocuisse; eiusque peccatum propagatione transfundi omnibus, et unicuique proprium inesse: ac proinde inesse quoque filiis baptizatorum, ac summam illis omnibus qui in nomine Christi salvandi sunt, qui sunt prorsus omnes homines, *quia non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: atque haec docuerit Tridentina Synodus « Sacrarum Scripturarum, et Sanctorum Patrum ac probabilissimorum Conciliorum testimonia et ipsius Ecclesiae iudicium et consensum secuta » ut praefatur in initio decreti: postquam, inquam, hanc plenissimam universalitatem peccati originalis constituerit Tridentina Synodus, subdit in fine decreti: « declarat tamen haec ipsa Sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem: sed observandas esse constitutiones felicitis recordationis Sixti Papae IV, sub poemis in iis constitutionibus contentis, quas innovat. » Quanta sit vis huius declarationis pro asserendo immaculato conceptu tunc videbimus, cum illum ex traditione demonstrabimus: modo sufficit nobis haec animadvertio, nempe: ergo in doctrina catholica componi possunt haec duo, universalem scilicet esse propagationem peccati originalis, et tamen b. Virginem non contraxisse peccatum originale. Id evidenter censuit Tridentina Synodus; secus enim non potuisset dicere *non esse suae intentionis comprehendere b. Virginem*, cum eam universalitatem docuerit, quae ipsam quoque Virginem necessario comprehenderet. Haec ergo declaratione Tridentina Synodus se censere significavit et declaravit necessarium non esse asserere maculatam Virginis conceptionem, ut vera sit doctrina catholica de universalitate peccati originalis. Quae quidem sententia in hac declaratione contenta non est quidem affirmatio explicita immaculati conceptus b. Virginis: est tamen affirmatio illius rei, quam modo nos defendimus, nempe ad veritatem tuendam catholicae traditionis de universali propagatione peccati originalis opus non esse ut b. Virgo in ea universalitate comprehendatur. Ea autem declaratio Synodi est declaratio traditionis catholicae authentica et infallibilis, tum quia est edita a Synodo oecumenica, tum quia est allata a Patribus secutis in doctrina de universalitate peccati originalis, ut ipsi testantur, Scripturas, Patres, Concilia, iudiciumque et consensum Ecclesiae. Huiusmodi est ergo sensus et iudicium Ecclesiae.

II. Verum, inquires, si ita licet limitem ponere universalitati peccati originalis ut una persona excipiat, licebit quoque alias

excipere; nam ea limitatio inducta proposito haec: omnes peccato originali obnoxii sunt, non est universalis, nisi quoad debitum, ideoque quoad debitum tantum est vera, et ideoque quoad debitum tantum est accipienda: at si quoad debitum tantum accipitur, licet nedum aliquos sed omnes arbitrari vel suspicari acceptat, actuali contractione peccati.

Atqui 3) falsum est quod admissa exceptione pro b. Virgine, propositio ea non sit universalis et vera nisi quoad debitum; et quod proinde liceat alios quoque excipere. Nam exceptio b. Virginis non tantum exhibetur ut exceptio aliqua, sed potius ut *exceptio unica*. Etenim a) ratio obiectiva exceptionis, cur nempe fuerit et fuisse credatur excepta b. Virgo, haec semper sistitur, divina nimirum Maternitas, quae propria ipsius est, et qua ipsa a ceteris filiis Adae in immensum determinatur. b) Cum autem ea exceptio proponitur credenda, asseritur eam esse *singularem gratiam, singulare privilegium*; singulare autem proprie illud est quod est unicuique. Unde potius ex hoc dogmate firmatur doctrina asserens omnes alios prorsus contrahere actu peccatum originale. Iam vero exceptio singularis unius individui determinati non tollit propositioni universalitatem etiam quoad factum, licet illam coarctet; ceteri enim omnes qui determinati cognoscuntur, obnoxii sunt peccato. Itaque non licet alios excipere. (Cf. dicta Th. LXVII).

Thesis LXXXIII.

Neque argumentum peti potest ex eo quod non infrequenter a Patribus affirmetur solum Christum, ob specialem praerogativam suae conceptionis, immunem fuisse ab omni sordis peccati.

I. Non pauci producantur Patres qui affirmant *solum Christum* esse extra peccatum, non esse in Matre pollutum, non sensisse nascendo peccatum, alienum fuisse ab originali praeravicatione, liberum esse genitum a servitute peccati, non traxisse a parentibus originale peccatum: eiusque praerogativae ratio haec ab iisdem Patribus affertur, quia non communi modo ex virili semine, sed ex Virgine de Spiritu S. conceptus sit. Cf. Benedictum Piazza in causa Immaculae Conceptionis actione Ihs art. 4. qui pene viginti tum Patres tum Scriptores ad saeculum usque XII inclusive pro parte sibi contraria allegat, qui asserunt hanc specialem praerogativam generationis Christi: inter quos audire est Origenem, S. Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Fulgentium, Petrum Diaconum, Leonem M. Zosimum Rom. Pont. venerabilem Bedam, Rabanum Maurum, Pe-

trum Damiani. Sane ex his Augustinus ait (De peccat. mer. et remiss. L. I. n. 37): « solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis sed obedientia mentis Virgo concepit ». Ambrosius (in Luc. L. II. n. 36) « Solus per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenae contagia corruptelae immaculati novitate partus non senserit ». Leo M. (in Nativ. Dom. Serm. III. c. 5) « solus itaque inter filios hominum Dominus Iesus innocens natus est, quia solus sine carnali concupiscentiae pollutione conceptus ». Atque ita porro alii.

Itaque si spectetur affirmatio exclusiva, *solus Christus*, et si spectetur ratio, ob quam Christus dicitur sine peccato conceptus, *generatio nempe ex Spiritu S.* quae ipsius propria est; videtur e sententia horum Patrum, conceptio ceterorum hominum atque etiam b. Virginis peccato esse maculata.

II. Verum 1) hanc esse sententiam Patrum non visum est Patribus Tridentinis, qui Sanctorum Patrum testimonium secuti doctrinam de universali propagatione peccati originalis tradiderunt, et noluerunt tamen comprehendere in eo decreto exacto ad normam Patrum b. Virginem. 2) Conceptio Christi huiusmodi fuit, ut etiamsi genitus ex virgine fuisset proprus homo, non solum non contraxisset, sed nec debuisset nec potuisset contrahere peccatum originale; caro enim eius eo quod ex commixtione seminum non procedens, sed Spiritus S. virtute in utero Virginis formata, non erat caro peccati, caro nempe cui anima coniuncta, eo quod ipsi coniuncta, h. e. eo quod coniuncta corpori ex semine Adami, contrahere deberet peccatum ipsius. Haec est specialis praerogativa generationis Christi: quae singularem eiusque propriam infert immunitatem a peccato, ita ut non tantum quia Deus erat qui gignebatur, sed etiam quatenus homo eo quod ex virgine conciperetur, immunis esset a necessitate contrahendi; non enim poterat peccatum in ipsum inducere praevicatio Adae a quo seminaliter non procedebat, non generatio, quae naturalis non erat, multoque minus Deus animam eius creans. Talis porro immunitatis ratio decebat illum hominem, qui humanum genus redempturus erat, ut etiam quatenus homo sanctus origine essentialiter foret. Si ergo Christus homo genitus comparetur cum ceteris genitis ex Adamo, comprehensa quoque b. Virgine, dicendum est, ipsum non egere redemptore, ceteros indigere: ipsum vi suae generationis immunem esse a peccato, ceteros nequaquam: ipsum caruisse debito contrahendi peccati, nec potuisse illud contrahere, ceteros et potuisse et habuisse debitum contrahendi: ipsius carnem non fuisse carnem peccati, ceterorum vero fuisse carnem peccati, cui nempe anima coniuncta debitam habuis-

set contrahendi peccati. Distinctis ergo tum *generatione*, vi cuius contrahatur, et *generatione* vi cuius non contrahatur peccatum, tum *debito* contrahendi peccati, ac ipso *peccato actu contracto*, dici vere potest solus Christus immunis fuit a debito imo et potentia contrahendi peccati vi suae generationis; solus Christus vi suae generationis immunis fuit ab ipso peccato, eaque immunitate, quae redemptione non indigeret. Porro cum ita Christus cum ceteris comparatur, opus non est mentionem facere alicuius personae quae obnoxia quidem ex se necessitate contrahendi peccati, ex speciali privilegio ab eo praeservetur immunis; quia 1) et ipsa propter debitum ad eam classem spectat, cui Christus opponitur: 2) quandoquidem in hac comparatione insituenda spectatur in Christo id quod ex lege naturae ei competit, ita et in classe ei opposita spectatur id quod ex lege naturali sive communi inest: cum autem lex communis consideratur, opus non est mentionem facere alicuius specialis privilegii, ne ipsum videatur exclusum, nam lex communis per se non excludit speciale privilegium.

III. Iam vero huc redit sententia Patrum, quorum doctrina obiicitur nobis. Loquuntur enim non de qualibet innocentia et actuali immunitate a peccato, sed de innocentia et immunitate a peccato, quae excludat debitum contrahendi peccati, quae redemptione non indigeat; et sic propria sit Redemptoris. Et re quidem vera non solum potest iis testimoniis Patrum ea interpretatio adhiberi; sed ratione habita illius conceptus seu ideae quae de puritate et sanctitate Virginis insedit semper mentibus fidelium et Patrum, ac ratione quoque habita disertae testimonii immaculatae conceptionis b. Virginis, quae penes Patres occurrit, quae omnia deinde demonstrantur, omnino affirmandum est interpretationem nostram iis Patrum testimoniis adhibitam esse unice veram.

Thesis LXXXIV.

Neque praedictum peti potest vel ex sera institutione festi conceptionis, quod quidem non est omni ex parte verum; vel ex controversia quae quoad hanc Virginis praerogativam viguit non paucis saeculis in Ecclesia latina.

1. Distinguenda sunt haec duo, 1. aliquid, quod festo celebrari potest, revelatum esse ac credi sine explicite sive implicite ab universa Ecclesia, et 2. idem coli speciali festo: primum namque potest esse sine altero. Exemplum sit in ipsius Virginis sancta Nativitate, quae certe revelata est, et credita semper fuit in Ecclesia: at festum

eius aetate Augustini in Ecclesia latina saltem universa non celebratur. « Natalis dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos Natales celebrat; huius (Iohannis Baptistae) et Christi » inquit Augustinus Serm. in Natali eiusdem Sancti, CCLXXXVII, al. 40. de diversis. Et sane ipsa obiectiva revelatio atque fides aliud sunt prorsus ac aliquis exterior actus qui a fide procedit et quo fidem proflitemur, sine quo tamen tum ipsa fides, tum fidei quoque professio, quae pluribus modis apta est fieri, esse possunt. Ergo ex eo quod prioribus seculis festum conceptionis b. Virginis non celebraretur, non licet inferre quod neque crederetur, neque esset revelata conceptio.

II. Verum non est putandum adeo fuisse seram institutionem festi, quo immaculatae b. Virginis conceptus coleretur. Nam (omisso Typico s. Sabae, in quo reperitur quidem festum hoc, sed incertum est quando ibi sit recensitum) ut quod extra omnem est dubitationem promamus, seculo VII. Andreas cretensis in Canone, quem pro die nona decembris in festo Conceptionis Deiparae composuit, testis est sollemnitate huius festi in Ecclesia graeca. Iohannes autem Euboeensis sec. VIII. agens festum Conceptionis b. Virginis, ait sua aetate quidem non ubique festum hoc celebrari (cf. Orationem eius in Conceptionem s. Deiparae n. 23. in Sylloge etc. Ballerini parte I. edit. Parisiensis): scilicet iam pluribus in Ecclesiis celebrabatur. Petrus vero, qui in Sicilia natus est, fuitque postea Argorum Episcopus, orationem pro hac festivitate habuit in Sicilia circa annum 830. (cf. *ibid.*). Neapolitanam Ecclesiam festum idem ante medium seculum IX. celebrasse testatur *vetus marmorium sanctae Neapolitanae Ecclesiae Kalendarium* editum anno 1744 ab Alexio Symmacho Mazoecio, qui ante medium seculum IX. illum sculptum fuisse probat; in quo Kalendario ad diem nonam Decembris haec habentur: *Conceptio s. Mariae Virginis*. Cremonae ann. 1047. iamdiu hoc festum celebrabatur (Syll. Ballerini v. 1.) Rothomagi in Normandia ann. 1072. ab Episcopo Iohanne societas vel academia Immaculatae Conceptionis instituta fuit (cf. Pareri de Vescovi etc. I, 335.). Aetate s. Anselmi, h. e. sub finem seculi XI. aut sub initium XII., usurpata fuit haec festivitas in Anglia (cf. Bened. Piazza op. cit. Act. 3, art. 2, ad sec. XI.). In Galliis seculo XII. celebratum fuisse hoc festum testatur tum Epistola s. Bernardi ad canonicos Lugdunenses, sive ea epistola ipsis Bernardi sit, sive ei supposita (suppositio enim debuit fieri ipsa aetate Bernardi aut paulo post) tum testimonium Attonis Prioris Monasterii s. Petri de Regula, qui in statuto edito anno 1154. de ea celebranda festivitate, inquit quod « fere per totam Galliam devotissime ab omni christiano percelebratur populo. » Idem

festum ea aetate in Germaniam invectum suadet testimonium Potonis Prumiensis, qui circa medium huius seculi scribens De statu Domus Dei I. III. sub finem conqueritur quod quidam illud celebrant.

III. Imo affirmare licet festivatem conceptionis caeptam esse celebrari, cum caepa est festivitas Nativitatis Deiparae. Sane 1) cum nativitas celebratur alicuius, eiusdem celebratur sanctificatio in utero, ut liquet ex festo nativitatis Baptistae: quoniam autem sanctificatio b. Virginis in utero celebrabatur ab Ecclesia? Si Ecclesiae fides erat Virginem semper fuisse sanctam, quod nos postea demonstrabimus (idque modo supponere licet, non enim huius rei demonstratio agitur, sed quaeritur solum an eius festivitas ageretur), ea reapse sanctificatio celebrabatur quae cum ipsa animatione incept, qua proinde b. Virgo a macula originali praeservata fuit. Licet ergo id explicite sola sollemnitate Nativitatis non significaretur, ratione vero habita eius quae colebatur, tum non excludebatur celebratio immaculatae Conceptionis, tum imo implicite includebatur. Sed 2. neque argumenta positiva desunt, quibus clarum fiat festo Nativitatis Conceptionem quoque celebratam fuisse antiquitus. Etenim si confers sermone habitos a Patribus in festo Nativitatis Deiparae, videbis utrumque frequentissime simul coniungi tanquam festivitates obiectum, *nativitatem* nempe et *conceptionem*, conceptionem inquam, non solum sanctificationem in utero; conceptionem autem vel discretis verbis, vel prorsus aequivalentibus repraesentant. Ita Andreas Cretensis Orat. in Deiparae nativ. (Gallandi XIII. p. 95): « Hodie Creatoris omnium creatum delibrum exadificatum fuit, ac creatura divinum creatori nova decentique ratione praeparatur hospitium... Hodie steriliis contra spem inventur mater, illaque prolis sine patre mater ex non genitalibus lumbis germinans naturae geniturus sanctificat ». Iohannes Damascenus Orat. 1. in Deiparae nativ. « O par beatum Iochim et Anna! O lumbos beatissimos, e quibus mundissimum semen iactum est! praecelaram Annae vulvam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus atque formatus est foetus sanctissimus! » Fulbertus Carnotensis (Migne P. L. Vol. 144.) in Virginis Nativ. « Denique in huius conceptionis necessarium haud dubie est quod utrumque parentem vivificus et ardens Spiritus singulari munere repleverit... Quanta putamus provisio fuerit Sanctorum Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suae procreationis, et excubatio super tam ingentem sobolem? Nunquam abfuisse credendus est Spiritus S. ab ista eximia puella. » Imperator Leo Sapiens in Deiparae Nativ. (Combesis. Auct. T. 1. p. 1614) « O beatum partum! O conceptionem, partumque et infantem, quibus exitiosus peccati partus elanguit! »

Imo 3) ex festo Nativitatis quod in Ecclesia celebrabatur probant quidam veteres sanctificationis. Scilicet non tantum colligebant ex festo Nativitatis b. Mariae fuisse in utero Matris absolutam ab originalibus peccatis, quemadmodum facit Bernardus Toletanus auctor seculi XII. Serm. 4. in Antiphonam Salve regina; sic enim ait: « Innocens (Maria) fuisi ab originalibus et actualibus peccatis nemo ita praeter te... Ego quoque pia fide opinor in utero matris tuae ab originalibus te absolutum peccatis, nec vana est fides, nec opinio falsa... Si alii in utero matris (citatur Ieremiam et Ioannem) fuerunt sanctificati, multo magis tu mater Domini... quae sola totam Spiritus S. gratiam possedisti, quam alii habuere per partes... Inde est quod nativitatem tuam sanctam Sancta Ecclesia festivis celebrationibus honorat, quod alias non faceret. » (1) Sed et ipsius Conceptionis Sanctitatem arguebant, ut facit Paschasius Radbertus (obit. 854) in tomo primo operis de Partu Virginis, quod olim tributum fuit s. Hildephonso toletano (SS, PP. Toletanorum opera etc. edita opera Francisci de Lorenzana Tom. I. pag. 294.) Ea verba Paschasii ibid. pag. 298; « At b. Virgo licet ipsa de carne peccati sit nata et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non (tamen) tunc iam quando praeventum Spiritus S. gratia ab Angelo prae omnibus mulieribus benedicta vocatur (scilicet tunc a fomite immunis erat, qui pars materialis peccati originalis est et cum Augustino appellari solebat quoque peccatum (utique materialiter) originale cf. th. LXXXII). Alioquin si non eodem Spiritu S. sanctificata est et emundata, quo modo non caro eius caro peccati fuit? Et si caro eius de

(1) Videri possit hic scriptor ex his, quae supra a nobis relatis interserit, profiteri solam sanctificationem in utero, ante eam enim, ut ait, nox quaedam praecessit; idque confirmare liceret ex eo quod ad sanctitatem virginis in utero demonstrandam dicit alias Ecclesiam non esse celebraturam festum Nativitatis eius: pro hoc enim celebrando non requiritur sanctitas ipsius conceptionis. Verum advertas duo: 1. quod sanctificatio Virginis excellentior sanctificatione aliorum praedicitur: 2. quod eam non dicit Bernardus simpliciter se credere (quod quidem negare non posset de simplici sanctificatione) sed pia fide opinari, quod locum habere poterat pro sanctitate conceptionis nondum definita. Quid inde? Censemus 1. Bernardum prae oculis habuisse quaestionem de sanctificatione carnis Virginis ante animationem, quae quaestio tunc agebatur (de qua mox), et propterea concessisse noctem quandam praecessisse auro-rae. Censemus 2. ipsum aliquid quidem amplius opinatum fuisse quam simplicem sanctificationem in utero, explicito vero voluisse solum asserere hanc doctrinam, cum ea emphasi tamen ut ipsam sanctificationem conceptionis possent auditores subodorari.

massa primae praevaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit; nisi quia Verbum, quod caro factum est, eam primum obumbravit? Propterea vere caro eius iam non caro peccati fuit, in qua Deus se totum infudit... Alias autem quomodo Spiritu S. eam (Virginem) replente, non sine originali peccato fuit, cuius etiam nativitas gloriosa catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix et beata praedicatur? Enimvero si non beata esset et gloriosa, nequaquam eius festivitas celebraretur ubique ab omnibus. Sed quia iam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae quod nullis, quando nata est, subiicitur delictis, neque contraxit in utero sanctificata originale peccatum... Nullius nativitas celebratur in mundo nisi Christi, et eius, atque b. Ioannis: Ioannis autem; quia et ipse in utero sanctificatus legitur: sic et b. Virgo Maria nisi in utero Matris sanctificata esset, minime nativitas eius colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiae veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, pro quam non solum maledictio matris Evae soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur... Quando Spiritus S. in eam adventit, totam defecavit a sordibus virginem et decoxit, ut esset sanctior quam astra caeli. » Iam vero perpende quod formula haec: *non contraxit peccatum originale*, non usurpatur de eo qui a peccato existente mundatus sit. Itaque advertatur ratiocinium Paschasii huc redire: caro Mariae fuit sanctificata et mundata superveniente in eam Spiritu S. ut Angelus promiserat, quae mundatio in eo fuit posita ut sine concupiscentia et ope viri conciperet, ideoque esset caro immunis a labe traditionis peccati. Hanc autem defaecationem et decoctionem carnis Mariae suadet Radbertus ex eo quod ipsa Virgo fuerit concepta sine peccato originali. Ibi enim peccatum originale non est sola labe carnis aut concupiscentiae; nam hanc ablata fuisse dicit cum Spiritu S. in eam adventit. Nec morari nos debet quod Paschasius simul componat Ioannem et b. Virginem; nam et simul Ioannem et Christum componit; iuxta indolem proinde subiecti, quae nota erat, accipienda sunt quae de his praedicantur. Praeterea non de Ioanne, sed tantum de Virgine asseritur quod non *contraxit originale peccatum, quod ab omni peccato originali immunis fuerit*. Porro immaculatam conceptionem Virginis probat Paschasius eo quod auctoritate Ecclesiae celebratur festum eius Nativitatis: ergo. Cf. in parte VII seq. testimonium ex Tractatu Conceptionis b. V. tributo S. Anselmo.

Iam vero festum Nativitatis b. Mariae antiquum satis est in Ecclesia. Exstat enim in libro Sacramentorum s. Gregorii M. eiusque

libro Antiphonario (cf. Migne P. L. T. LXXVIII), atque in Responsali et Antiphonario Romanae Ecclesiae edito a Iosepho Maria Thomasio Oper. T. 4; atque in libris Sacramm. qui Gelasio Pontifici tribuuntur, editis ab eodem, Oper. T. 6. Dubitare quidem licet an festum natiuitatis Virginis in iis monumentis positum sit ab iisdem auctoribus quibus ea tribuuntur: sed certe aetate Sergii Pontificis sub finem saec. VII. festum hoc solemne erat Romae. Cf. Anastasium in eius vita.

IV. Quoad alterum caput difficultatis, illud recolendum est quod omnes norunt, posse nempe esse veritates reuelatas, quae non semper et ubique contineantur manifesta praedicatione Ecclesiae Fideique explicita professione; fieri proinde posse ut non sint omnibus clarae, et a catholicis quoque in controversiam vocentur, et existat oppositus ac negans dissensus, ita tamen ut illum praerulerit implicitus saltem consensus affirmans, atque ille consensus negans aduersum veritatem nunquam prauealeat. Exempla huius rei habes in doctrina de Canone Scripturarum, de visione beatifica ab anima purgatis ante resurrectionem obtinenda, de infusione habitum infantibus baptizatis, de infallibilitate Romani Pontificis. Atqui si ita est, ex controversia, quae exstitit circa immaculatam Deiparae conceptum nihil extundi potest, quo eiusdem divina reuelatio impugnetur. Sane praecessit (quod deinceps probabimus) unanims consensus; ortus est postea quidam dissensus, sed paucorum, si cum ceteris eos compares; qui dissensus angustior in dies evasit, donec prorsus desierit.

Quoad dissensum vero qui deinceps haec in re exstitit, adverte distinguendum esse accurate inter oppositionem quae fiat celebrationi festiuitatis, et oppositionem quae existat ipsi doctrinae. Potest enim doctrina aliqua credi vel non negari, et simul non videri conueniens aut oportuna celebratio eiusdem cum sollemnitate festi. Ita Poto Prumiensis De statu Domus Dei L. 3. simul reprobat festum Sanctae Trinitatis, et Transfigurationis Domini, atque festum Conceptionis s. Mariae, quod tamen ei magis absurdum videtur.

V. Hoc praemisso, ut dissensus, qui deinde exstitit, quaedam notio clarior informetur, haec iuvat advertere: 1) in Ecclesia graeca nunquam exstitisse dissensum, sed solum in Ecclesia latina: 2) Ecclesiam Romanam magistram Ecclesiarum nunquam fovisse aut approbasse dissensum: 3) saeculo XII dissidium caepisse, eiusque primum monumentum exstare epistolam Bernardi vel pseudoBernardi datam ad Canonicos Lugdunenses. Operae autem pretium est investigare cuiusmodi fuerit istud dissidium, sive qua de re primum quaestio mola fuerit, et controversia excitata. Scilicet, si Bernardi

epistola consularur, evidens erit scriptorem impugnare festum, cuius obiectum sit conceptio seminalis, quae (iuxta opinionem communem eius aetatis penes latinos) praecedat animationem. Liqueat id ex eius argumento: « Unde ergo Conceptionis sanctitas? an dicitur sanctificatione praeventa, quatenus iam sancta conciperetur, et per hoc sanctus fuerit et conceptus, quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? sed non potuit ante sancta esse, quam essey siquidem non erat antequam conciperetur: an forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta? ne hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut S. Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit ubi libido non defuit? nisi forte quis dicat eam de Spiritu S. et non de viro conceptam fuisse. » Probat ergo auctor epistolae non fuisse sanctam b. Virginis conceptionem, quia non potuit Deipara esse sancta antequam esset; nec potuit praeveniri sanctificatione, quia ut praeveniretur debebat esse, at non erat antequam conciperetur (h. e. *antequam eius carnis finiretur*, cf. s. Thomam in III. Sent. D. III. q. 1. a. 1. penes quem perinde sunt hae phrasae *antequam conciperetur*, et *antequam conceptio carnis eius finiretur*), nec inter maritales amplexus, quibuscum conceptio seminalis perficitur, sanctitas se potuit immiscere. Atqui haec valent quidem pro conceptione seminali, totoque illo tempore quod animationem praecedat, non vero pro ipso instanti animationis. Et sane de ea sanctitate loquitur Bernardus, quae si adseratur, dicendum est Virginem non esse viro, naturali nempe modo, sed de Spiritu S. conceptam fuisse: atqui haec est sanctitas propria ipsius conceptionis seminalis, quatenus talis est ut caro concepta non sit caro peccati, caro scilicet, cui anima coniungenda teneatur necessitate contrahendi peccatum. Hinc a veteribus scholasticis auctoritas haec Bernardi tunc solum affertur, cum disputant de *sanctificatione ante animationem*. Cf. Alexand. Aleensem Summa Theolog. p. III, q. VIII. m. 2. a. 2. Albertum M. in III, d. III, a. 4. s. Thomam l. c. Bonaventuram in III, d. III, a. 1. q. 1. Manifeste itaque patet quam sanctitatem auctor huius epistolae impugnet, cum negat sanctam fuisse b. Mariae conceptionem, sanctitatem nempe quae creationem animae, eiusque infusionem praecedat; quaeque conceptionis Christi propria est.

VI. Ut vero huius rei veritas magis eluceat, adverte 1) tunc temporis nomine conceptionis venisse non infrequenter conceptionem seminalem, quae est eius nominis significatio magis propria. Cf. Anselmum de Concep. virg. c. VII, Petrum Lombardum in II. D. 31.

2) opinionem inter theologos communem fuisse quod anima quadagesimo vel octogesimo die plus minus post conceptionem seminalem seu commixtionem seminum infunderetur. Hinc 3) cum ex revelatione quae ferebatur Helsino Abbati coenobii ramessiensis in Anglia facta circa ann. 1066 (cuius et mentionem facit Gaufredus monachus in Chronico conscripto ann. 1183. ac ante ipsum auctor celeberris epistolae bernardinae: vide inter opera Anselmi epistolam de Conceptione b. Mariae, ac vide quae de veritate huius revelationis disputat Passaglia de Imm. Concep. n. 4012 pag. 1762. et Benedictus Piazza op. cit. Act. III. a. 2. ad sec. XI) statuta esset pro celebrando festo conceptionis dies octava decembris, quae fuit, aut certe credebatur, dies conceptionis seminalis, quaedam opinionum discrepantia locum habere debuit, et reapse habuit. Quidam enim advertentes celebrari festum sanctae conceptionis sive b. Mariae conceptae in sanctitate, et sanctitatem non haberi nisi existente anima, censuerunt ideo praescriptum fuisse eum diem pro celebrando festo, vel quia eo die anima Virginis exstiterit, vel quia, cum ignoretur dies animationis, ille dies certus commixtionis seminum status esset, ita tamen ut quamvis conceptio celebraretur die conceptionis seminalis, obiectum festi esset animationis instans, seu conceptio passiva. Alii e contrario perpendentes festum praescriptum esse pro die conceptionis seminalis, ea autem die animam non exstisse pro certo habentes, censuerunt ipsam conceptionem seminalem celebrari. Et quidem non una fuit horum sententia. Nam alii arbitrati sunt celebrari conceptionem seminalem festo quodam gratiarum actionis, eo quod tunc quodammodo inceperit esse Mater Dei, ita ut obiectum formale festi esset divina beneficentia quae b. Virginem nobis donatura primordia eius inchoavit. Alii vero censuerunt ipsam conceptionem seminalem, sive carnem conceptam dignam esse cultu, eo quod esset caro sancta purgata a sordibus peccati seu concupiscentiae, quam peccatum originale, quoad partem nempe sui materialem, appellabant veteres, et in carne sedem habere ante animationem quoque putabant plures ex iisdem, atque ea carne infecta transmitti originale peccatum dicebant. Hanc vero carnem Virginis immunitatem a sordibus peccati se putabant colligere ex eo quod dies assignata pro festo fuerit dies quo caro tantum virginis exstiterit, et tamen non nisi quod est sanctum celebratur festo in Ecclesia.

Exstisse eos, quos primo loco commemoravimus certum est: imo, ut paulo post monebimus, ea erat sententia communior inter eos, qui festum conceptionis celebrabant. Sane primo nulla difficultas esse potest ex acceptione vocabuli *conceptio*, nam istud tunc de passiva quoque conceptione seu animatione accipiebatur. Cf. Petrum Lombardum

I. c. Petrum Pictaviens. Sentent. P. III, c. 7. Henricum Gandavensem Quodlib. XV. q. 13. Deinde testem habemus Alexandrum VII in Const. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* §. 2. Ibi enim refert veterem sententiam absque ullo discrimine facta; sub ea ergo appellatione *veteris sententiae* ea quoque continetur quae exstiterit ab initio institutionis festi: ait porro Pontifex: « vetus est Christi fidelium erga eius beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sententium erga animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu eius filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunitatem, atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem sollemni ritu colentium et celebrantium. » Iuxta sensum autem illius primae sententiae loquebatur Gandavensis, cum I. c. quaerens « an festum Conceptionis, quod a Normannis celebratur octavo die Decembris, celebrandum sit pro tempore, hora, vel momento, quo facta est ipsa conceptio Virginis, an pro alio aliquo tempore, hora vel momento » distincta duplici conceptione, respondet: « quare cum dies octava decembris erat tempus conceptionis Virginis in nudo semine, nequaquam debent celebrare ratione illius conceptionis, in cuius anniversario ipsi semper illud celebrant. »

VII. Exstisse vero et illos quos secundo loco commemoravimus, pariter constat. Et quidem quoad eos qui rationem festi ponebant in quadam gratiarum actione, cf. si licet, Tommaso Strozzi *Contraversia della Concezione*. Tom. I. L. IV. c. 31. Fuisse vero et eos, qui censerent ipsam Virginis carnem ante animationem habuisse quamdam sanctitatem, dignamque proinde esse cultu, vel qui saltem putarent ita accipi festum ab iis qui illud celebrarent, haec persuadent. Sane 1) Mauritius successor Lombardi in episcopatu Parisiensi an. 1164. prohibuisse dicitur ne festum conceptionis celebraretur (ut refert Guillelmus Antissiodorensis in Summa L. III, c. 3. cf. Strozzi L. III, c. 47. et Petrus de Alva. Sol. veritatis. Verit. 104): huius vero prohibitionis ea ratio probabiliter fuit quae de abolitione eiusdem festivitatis affertur a Caesario Cisterciensi, qui floruit sub finem saeculi XII. in Sermone 2. festivitatum B. V. his verbis (in Bibliotheca PP. Cruciferorum Coloniae L. D. n. 24. cf. Strozzi L. III, c. 47) « Hoc (nempe activam Virginis generationem fuisse actum sanctum) qui ante nos fuerunt considerantes, et quod in re inanimata, utpote semine concepto, culpa esse non potest intelligentes: propter Salvatoris honorem quem de Spiritu S. Virgo concepit, ipsius Virginis conceptionem carnalem indicabant esse sanctam, et celebratione dignam... Quia in re non animata idest materia concepta nihil potest esse sanctitatis, virtutis, et gratiae, consilio virorum prudentium

tium nostris temporibus festivitas conceptionis b. M. V. abolita est. » Abolita est nempe Parisiis, a paulo post restituta. Itaque constat ea aetate fuisse qui ea ratione festum Conceptionis acciperent. Quod 2) patet quoque ex eo tractatu de Conceptione B. V. M. qui s. Anselmo tributus olim fuit: qui quidem tractatus scriptus est occasione abolitionis illius festivitatis, ut ex num. 1. liquet. Alii enim de quibusdam, quos « multa scientia sine caritate perustrat, » quod hi « a nigri sui sagacitate perlucti quod antiquorum simplicitas et perfecta in Dominam nostram constituerat caritas, festum scilicet de Conceptione ipsius Sanctissimae Dominae, sua qua se pollere gloriabantur auctoritatis ratione abolere non timerunt. » Porro iste Auctor recitans argumentum quod afferebatur ab iis qui festum conceptionis non probabant, haec habet: « Et hi quidem ut nulla memoria de Conceptione Virginis Matris in Ecclesia Filii eius fiat, non sine ratione videri affirmant, eo quod ex nativitate illius, quae ubique festive recolitur, conceptionis eius exordium satis memoretur: nec enim, aiunt, nata esset, si concepta non fuisset... Cum itaque corporis eius specificata compositio (qua cum incipit esse anima rationalis) et in huius mundi latitudine exhibitio veneretur a cunctis (confirmantur his ea quae diximus in 4. p. huius thesisi); supervacua illa adhuc informis materia cohereret, quae in nonnullis saepe, priusquam plene in humanam effigiem transeat, deperit et annihilatur. » Hinc 3) auctor epistolae ut appendix subnexae ad epistolam tributam s. Anselmo de conceptione b. Mariae, in qua revelatio Helsini narratur, auctor ille, inquam, distinctis duabus conceptionibus, concludit: « si non placet illi celebrare Dominicæ Matris carnalem conceptionem, saltem placeat celebrare eius animæ spiritualem creationem, corporisque cum anima copulationem. » Quae verba sunt utrumque probantis. Tandem 4) non alia videtur fuisse ratio cur primi Scholastici, Alensis, Thomas, Bonaventura, data opera quaestionem tractaverint *an Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem*, nisi quia sententiam affirmantem a quibusdam admissam fuisse cognoverant.

VIII. Pronum est ergo inferre ipsa aetate Bernardi existisse eos qui arbitrentur conceptionem carnalem b. Mariae ante eius quoque animationem, fuisse sanctam, dignamque quae festo die coleretur. Fuit ergo ratio auctori epistolae ad Lugdunensem Ecclesiam in ea fuisse opinio. Quod quidem credibile hand esse ille dabit qui adverterit iam sub initium seculi XII prope Lugdunum a Paschali II consecratum fuisse altare sacrum Conceptioni b. Virginis in templo monasterii Athanacensis (cf. Ballerini de Scriptis S. Ber-

nardi n. VII, seqq.). Sed dicendum erit illud visum esse auctori epistolae, vel si is impostor quidam fuit, id confictum ab eo esse, ut facilius veram sententiam labefactaret.

IX. Adverte epistolam hanc inscriptam nomine Bernardi eum exitum habuisse, ut dum eo vivente a paucis Ecclesiis Galliarum ea festivitas celebraretur, si verum est quod ea epistola testatur; paulo post fere universam Galliam occupaverit. Id docemur a decreto Attonis Prioris in monasterio S. Petri de Regula, quod est huiusmodi. « Anno incarnationis Dominicæ 1134 ego Atto Prior monasterii S. Petri de Regula, praesente Domino Vasatensi Episcopo Guillelmo Arnaldi, collaudante totius nostri capituli benigna humanitate; statuimus ut festum de beata Dei Genitricis Mariae conceptione, quod iam fere per totam Galliam devotissime ab omni christiano perecelebratur populo, hoc et a fratribus nostris et tota plebe venerabiliter deinceps solemnizetur. » Epistola vero Bernardina scripta est anno 1130, si Mabillonio credis. Nulla ergo habita est ratio epistolae illius quae nomine et proinde auctoritate Bernardi insignis circumferebatur. Qui vero id fieri potuit? Perpende quod si universim Ecclesiae celebrantes festum conceptionis habuissent pro objecto conceptionem carnalem, eae non potuissent non permoveri argumentis bernardinis, quae efficacia sunt contra eam opinionem; ideoque non auctus, sed imminutus postea fuisset cultus. Reliquum est ergo ut dicamus non fuisse habitam rationem illius epistolae quoad celebrationem festi Conceptionis, quia constabat omnibus argumentum bernardinum laborare falso supposito, illud scilicet impugnare quod generatim alii non affirmabant. Unde concludendum est ea quoque aetate, et post Bernardum praecipue, festum conceptionis communiter ea intentione celebratum fuisse, ut animatio sancta coheretur. Ceterum ne iniurii in s. Bernardum videamur, mememus probari nobis quae de auctore huius epistolae disserit cl. P. Antonius Ballerini in Dissertatione historico-critica de S. Bernardi scriptis circa Deiparae Virginis conceptionem a §. XXVII deinceps.

X. Mentio fit eiusdem abolitionis festi Conceptionis, ut liquet ex verbis Caesarii superius allatis, et ex tractatu de Conceptione b. Mariae inter opera s. Anselmi. Certa autem et determinata memoria non extat nisi pro Ecclesia Parisiensi sub Mauritio (cf. Strozzi op. cit. Lib. III, c. 47) qui, cum anno 1164 Episcopatum inierit, de abolendo festo decretum tulisset paulo post quam Atto testatus fuerat ipsum ab universa fere Gallia celebrari. Non ergo opus est censere quod universalis fuerit in Gallia ea abolitio, sed solum pro Ecclesia Parisiensi, ut loco citato Guillelmus testatur. An in monasterio quoque Athanacensi prope Lugdunum desisse eam festivitatem

censebimus, in cuius monasterii ecclesia altare Conceptae Deiparae sub initium huius seculi Paschalis II dedicaverat (Cf. Ballerini Diss. cit. n. 7.)? Obici quidem potest testimonium s. Bonaventurae, qui seculo post floruit, circa medium saeculæ seculi XIII. Hic enim in III. D. III, q. 1. ubi agit de *sanctificatione gloriosae Virginis ante animationem*, postquam eam argumentis pluribus negasset, subdit: « Nul-
 lius conceptionis sollempnitatem celebrat Ecclesia nisi solius Filii Dei in annuntiatione b. Virginis Mariae. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant conceptionem b. Virginis, quos nec omnino laudare, nec simpliciter audeo reprehendere. » Verum responderi potest 1) ideo negari quod *Ecclesia* celebret festum istud, quia nondum decreto aut praxi Ecclesiae sive Romanae Sedis, quae Bonaventurae saltem nota esset, constitutum, et nondum universale erat. 2) Non esse opus *aliquos* interpretari *paucos*, sed posse exponi *non omnes*. Ceterum etsi ea abolita facta in Galliis supponatur ampla, recolenda sunt haec tria: 1) ratio cur dicatur abolitum fuisse festum, quia nempe conceptio ante animationem non fuit sancta; unde abolita est ea festivitas, cuius obiectum erat ista conceptio, vel cuius esse putabatur: quam opinionem producit Bonaventura, et Thomas, qui de hac festivitate loquuntur, cum disputant de sanctificatione ante animationem; qui id forte, degentes Parisiis, ex decreto Mauricii collegerunt. Quare 2) recolendam est huiusmodi abolitionem non adversari persuasioni doctrinae de immaculato conceptu B. Virginis. 3) Eam abolitionem non habuisse locum in Hispania, Anglia, Navarra, Sicilia, Italia, Germania, alibi.

Idem autem Bonaventura in III. D. III, q. 2. questionem agens de sanctificatione in ipso instanti animationis, adhaeret sententiae affirmanti immaculatum conceptum: atque hanc sententiam vocat *communio-*
riorem. Verum comparatio ab eo non instituitur inter membra Ecclesiae sive fideles sive Pastores qui sententiam suam ipso facto cultus significare poterant, sed fit inter Theologos, qui ea aetate pauci erant, et quidem nec inter omnes theologos eius aetatis, sed eos, quorum opera scribenti nota esse poterint, quae probabilissime non erant multa, ea nimirum quae a decessoribus in eadem universitate relicta erant. Ceterum ipse Bonaventura deinceps Magister Generalis sui ordinis in generali conventu habito Pisis festum conceptionis ab universo ordine celebrandum suscepit et probavit.

XI. Adverte porro veteres scholasticos Albertum, Alensem, Thomam, excepto Bonaventura, nunquam directe insituisse questionem quae postea proposita fuit, an scilicet in primo instanti suae animationis b. Virgo fuerit sancta; sed aliam, utrum nempe b. Virgo fuerit sanctificata ante animationem. Quanam vero circa sancti-

tatem animationis fuerit doctrina s. Thomae, tunc disputabimus cum de traditione dogmatis disseremus. At post Scotum, qui clarus et pressius quaestionis punctum stabilisse videtur, revocans omnem disputationem de sanctitate conceptionis ad instans animationis, huiusque sanctitatem firmiter argumentis propugnavit; inter Scholasticos quoque, quorum numerus succreverat, et scholae distinctae fuerant, amplius in dies propagata est sententia pia, et communior evasit. Cf. Strozzii opus cit. L. IV, c. 22.

Thesis LXXXV.

Ex pluribus doctrinae capitibus quae in traditione catholica explicitae continentur, quaeque ad singulares Deiparae praerogativas referuntur, illud quoque tanquam in ipsis necessario implicitum eviderit deducitur, eiusdem nempe conceptum fuisse immaculatum.

I. Quanam notio sanctitatis et puritatis conceptus b. Mariae continueatur in universa traditione potest certe duplici via dignosci. Primo si diserta adsint de hac determinata re testimonia, quae communem sententiam representent: secundo si penes leses traditionis ea occurrat constans et universalis fides de excellentia singulari b. Mariae, quae immaculatum quoque conceptum necessario includat. Hanc alteram viam nunc ingredimur. Argumentum 1. huc redit. Ecclesiastica Traditio continet necessario doctrinam de immaculato conceptu b. Mariae, si talis eiusdem sanctitas et puritas exhibeatur, ut et omnem labem peccati a Virgine excludat, et omnia ac singula instantia existentiae Virginis complectatur; atqui: ergo. Cum maior sit evidens: probanda est tantum minor. Liqueat directe quaestionem esse *de puritate*, h. e. de exclusione labis seu maculae culpa, atque huc testimonia affirmantia sanctitatem referenda esse, ut negatio cuiusque labis pro quovis instanti existentiae Virginis praedicata demonstraretur. Argumentum vero quo id primum demonstramus per gradus quosdam ascendendo evidenter consequi nitetur.

II. Iam vero constat, nec de hac re quaestio est, in universa traditione, sive consulas opera Patrum, sive monumenta liturgica, representari excellentissimam et singularissimam sanctitatem Deiparae: conferri possunt testimonia hac super re collecta in opere de Immaculato Conceptu a Carolo Passaglia Sect. 1. 2. 3. Constat eam Deiparae puritatem praedicari, ut frequentissime, constantissime, universalissime praedicetur simpliciter b. Maria *purissima, illibata,*